

Strigon. circa an. 1385. exaedificasse *Aedem Corporis Christi* tradit *Nic. Schmittb* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 210.* an vero illuc referendum etiam *Collegium Christi*, quod potius *Contubernium Juventutis scholasticae* innuere videtur, ignoro.

XXXIII.

R. 2236 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. max. per duas columnas luculente perscriptus, rubricis distinctus et omnium Librorum initiis auro coloribusque splendidis, olim Bibliothecae *Episcopatus Neostadiensis* est Pars I. S. *Bibliorum* vulgatae interpretationis, ad quam sequentia observo. Gaudet ubique Praefationibus *Hieronymi* et consuetis Argumentis. Epistola ad *Paulinum* in plures Sectiones divisa est, quarum quaevis inscribitur: *Alius prologus. Fol. 218.* post *L. Nebemiae* sequitur *liber secundus esdre*, nempe tertius apocryphus. Post *L. Job fol. 255.* p. 2. haec minio: *Iste psalmus ideo non habet tytulum. quia capiti nostro domino saluatori de quo absolute dicturus est nihil debuit preponi. Sanctam enim eius incarnationis vitam impiorumque ultionem insinuat. Expectas Psalterium?* Sequitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio. Parabole salomonis.* Codices Bibliici, qui *Psalterio* careant, haud admodum sunt infrequentes; quo vero consilio Rubricam hanc adpinxit Librarius? Post *Salomonis*

Libellos: *Et sic est finis prime partis byblie.*

XXXIV.

R. 2237 Codex membraneus ejusdem rationis Folior. 299. cultu pauperior, incipit a IV. *Prophetis majoribus, minores, Machabaeosque* omittit. *Quatuor Evangelii* subdit *Actus Apost. Epistolas Canonicas*, ubi *Joh. I. c. 5.* Testimonium triplex ita confusum est: *quoniam tres sunt qui testimonium dant sicut in celo tres sunt. pater et uerbum et spiritus sanctus et tres unum sunt;* et *Apocalypsin.* Tum demum leguntur *Paulinae*, quas excipiunt notae illae *Interpretationes hebraicorum nominum*, et in summa ora pag. ult. habetur: *Anno domini M°. CCCC°. 39. factum est istud.*

XXXV.

R. 2299 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas nitide exaratus, coloribus, et picturatis initiorum literis illustratus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis complectitur consuetis *Hieronymi* Prologis, et Argumentis instructa. Adest *Liber III. Esdrae. Psalterium* loco motum post *Prophetas* repositum est, et ad calcem habet *Syllabum* reliquorum *Canticorum* sacrorum. Ante *Machabaeos* Praefatio illa duplex *Rabani Mauri. Epistolis Pauli ad Coloss.* et *Thessalonic.* intercepta est spuria ad *Laodicenses. Actus Apost.* sequuntur *Paulinas. Testimoni-*

monium I. *Job.* c. 5. a prima manu ita legitur: *Quia tres sunt, qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus. Et hij tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra spiritus aqua et sanguis.* Ad calcem accedit nota illa *Vocabulorum hebr.* Interpretatio.

Pag. ult. haec notata sunt: *Hanc bibliam integram. Calicem argenteum vna deauratum valoris XV. lbr. Item ornatum rubeum preciosissimum valoris XIII. lbr. denar. Item libros sermonum (extritum) taxatos pro XII. lbr. denar. Haec omnia obtulit Frater Benedictus de piburg quondam plebanus in Schinij nec non Capellanus et prouisor domus plurimum Reuerendi in christo patris et domini Domini friderici Episcopi ecclesie Seccouien. pie memorie pro monasterio lunelacensi Sancti Michaelis Taliter quod pro his superscriptis rebus perpetuis temporibus peragatur anniuersarium. Plura deinceps erasa sunt, et sequitur: *Item hanc ordinacionem fecit et ordinauit superdictus Frater Benedictus tempore nouiciatus sui quando potuit libere exire uel permanere, ordinare ac disponere de rebus suis ad placitum suum. Anno domini M°. CCCC°. Quinquagesimo tercio. Fridericum III. a. 1446. Episcopatu Seccouienſi potitum video in Diplomataris sacris Ducat. Styriae P. I. p. 291. eumque jam a. 1453. successorem habuisse Georgium. Videtur igitur obivisse a. 1452. jam enim Benedictus noster ad calcem**

*Psalterii Bibliorum suorum supra adnotavit: se in Festo Purificationis Marie, ergo 2. Febr. 1453. hospitem fuisse in Lunaelacu, tirocinium videlicet ingressurum. Non poenitendum fuisse Coenobio hunc Tironem docet Chronicon Lunael. a p. 244—76. Abbas enim ab a. 1463. ad a. 1499. multa praeclare gessit, et, cum in die D. Benedicti natus, Sacerdos factus, Abbas electus fuisset, eundem etiam diem ultimum vitae habuit. Referam simile de Franc. Dolfino S. J. viro non incelebri, qui memoria mea identidem dicere solebat: *Augustus mihi semper augustus;* aiebat enim hoc se mense natum, Societatem ingressum, Sacris initiatum, regimini Sociorum admotum, etiam moriturum esse. Et liberavit fidem,*

XXXVI. Codex membranaceus lat. Sec. R. 910 XV. Folior. 409. f. per duas columnas bene exaratus, ornatus lemniscis florulentis picturatis, non tamen per totum absolutis et ab a. 1660. Collegii S. J. Vienneae complectitur *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis cum Prologis Hieronymi et aliis solitis Argumentis, ad quae sequentia noto: *Gen. III. 15.* legitur: *Ipsa conteret &c. Esdrae,* ubi ornamenta deficere incipiunt, Liber II. inscribitur *Nehemiae,* et post se habet *Tertium,* qui *Secundus* dicitur. *Psalterium* desinit in *Psalmo CXLVII.* quem continuo *Symbolum* tributum *Athanasio* excipit, ad